KNY-18-00742

POSITIONES
EX
JURE HUNGARICO
PER
GABRIELEM NITRAY,
Profeſſorem Publicum Ordinarium.
ANNI SECUNDI
AUDITORIBUS EXPLANATO
DESUMPTÆ,
QUAS
IN SECUNDO COLLEGIALI EXERCITIO
Propugnandas ſuſcepit
ILLUSTRISSIMUS, AC PERDOCTUS DOMINUS
STEPHANUS L. B. FISCHER
De Nagy-Szalatnya, e Regio Archi-Ep. Nob. Convictu.
OPPUGNANTIBUS
Nobilibus, ac Perdoctis Dominis
JOSEPHO KLOBUSICZKY, Hungaro ex Comitatu Szatmarienſi.
CHRISTOPHORO DVORNIKOVICS, Hungaro ex Comitatu Szaladienſi.
MICHAELE SZAJBÉLY, Hungaro ex Comitatu Poſonienſi.
IN JURIDICO
UNIVERSITAT. TYRNAVIENSIS
AUDITORIO
Menſe Martio Die Anno MDCCLXXIV.

Typis Tyrnavienſibus, Anno ut ſupra,

KNY-18-00742

BIBL. UNIVERSITATIS
BUDAPEST
EGYETEMI KÖNYVTÁR

I.

AD inſtar regulæ juris habetur omnem jurium poſſeſſionariorum donationem privilegialem ſtatutione legitima firmandam eſſe.

II.

Jurium poſſeſſionariorum ad coronam devolutorum impetrationi ſub quocunque ex ordinariis quinque titulis factæ annecti poteſt titulus juris Regii, ſecus autem tituli impetrationum miſceri non poſſunt.

III.

Bona deficientis ſub lite exiſtentia impetrari poſſunt, dummodo titulum aliquem, aut colorem temporaneitatis involvat, etiamſi

IV.

Intercedat tranſactio, perennalis faſſio, & his ſimilia, ubi ex præjudicio, vel ob defectum ſolennitatis requiſitæ ad invalidationem translationalis inſtrumenti procedendum eſſet.

V.

Bona titulo defectus ſeminis cum annexo jure Regio impetrans, & in utriusque tituli edoctione ſuccumbens non ſecus cenſetur incurrere pænam tituli 25. imæ, quam ſi penes prohibitam, aut beneficium novi litem eatenus vigentem ſine omni fundamento proſecutus fuerit.

VI.

Vivente vero hærede Bonorum ſeu titulo juris Regii, ſeu notæ infidelitatis impetratorum, iisque titulis proceſſualiter non edoctis pæna tituli 25. imæ tantum in caſu temerarii litigii locum habet.

VII.

Eodem modo ſi impetrator, priusquam poſſeſſorium Bonorum impetratorum conſequatur, ſine hærede decedat, vel notam incurrat, non ex hujus deficientis, vel notorii; ſed jure eodem, quo deficiens talis accepit, impetrabilia ſunt Bona.

VIII.

Novæ donationis titulo in præjudicium congenerationalium ſuorum Bona impetrans in pæna tituli 36. 1mæ; falſum autem progenitorum poſſeſſorium exponens in pæna duntaxat emendæ linguæ convincendus eſt.

IX.

Ex duobus Fratribus Bona quæpiam jure nondum firmo, aut præſcripto tenentibus, unus pro ſe ſolo per defectum, vel notam cum excluſione alterius impetrans, proditionem fraterni ſanguinis non incurrit.

X.

Donatarius ad vires hæreditatis onera deficientis, cujus jure impetravit, aſſummere, & perſolvere tenetur. Non abſimiliter

XI.

Fiſcus Regius in manifeſto etiam defectu jura poſſeſſionaria deficientis occupans, omnia legalia Bonis inhærentia onera depurare obligatur.

XII.

Adoptio, & Præfectio in Bonis extra collationem Regiam aquiſitis, ac liberæ diſpoſitioni aquiſitoris ſubjectis per aquiſitorem etiam ſine conſenſu Regio facta valet.